

9 Commune, ut: Constantia, sinceritas, laudabilitas, difficultas, raritas &c.

1. Constantia.

SCHOL. Ubi non est firmum propositum & constans in bene & rectè agendo, ibi certè virtus non est, quia non est habitus, quia ἀκίνησία, ideoque ἀνεταστάσια. Rectè igitur Horatius describit honestum virum lib. 3. carm. ode 3.

*Justum est tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ; neq; Auster
Dux inquietiturbidus Adria,
Nec fulminantis magna manus Jovis,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

2. Sinceritas.

Nec minor est sinceritatis habenda ratio, siquidem cum virtutis naturâ pugnat, aliud in animo gestare, aliud fronte ostendere. Nequaquam fortis dicendus est, qui prædæ inhians se pro patriæ salute pugnare simulat. Hypocrisis enim vitium est maximè execrabile. Laudabilem esse virtutem ob insignem ejus pulchritudinem, nemo nisi qui hominis naturam exuit, inficiabitur. Difficultatem & raritatem arguit μερόμενος, quæ simplex & unica est, extrema verò varia sunt, ac proinde omnibus facile obvia. Quæ eadem ratio est veri & falsi. Illud est simplex & unicum; nec enim verum plus uno esse potest, hoc verò multiplex & varium. Quo quid autem simplicius, eò difficilius. Variis modis sagittarius aberrare à scopo potest, sed non nisi uno attingere.

3. Laudabilitas.

4. Difficultas.

5. Raritas.

10 Propria adjuncta virtutis sunt, Innocentia & Immunitas ab abusu.

SCHOL. Fieri nullo modo potest, ut virtus alicui esset perniciofa, ideoque omni culpâ vacat, ac proinde innocens est. Et quia virtus nequaquam nocere potest,
ejus